

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Evangelium in decima septima dominica post Pentecosten: *Cum intraret Iesus in domum*, quod in tribus clausulis dividitur.

In primis thema sermonis de praedicatoris et Ecclesiae praelato et ipsius armis, ibi: *Iudas Machabaeus*.

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item de principe diabolo, qualiter Adam decepit et quotidie quemlibet fidelem decipere satagit, ibi: *Cum intraret Iesus*; et ibi: *Antiochus intravit in sanctificationem*.

Item de maledicto ternario, quod Dominus sua Passione destruxit, ut nobis pacem daret, ut ibi: *Et erit in die illa, cum requiem*; et ibi: *Labor Aegypti*.

Item de quinque, quae ponit Apostolus in prima clausula epistolae, ibi: *Obsecro vos*.

[DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de aquis concupiscentiae, ibi: *Aquae Nemrim*; et de natura pardi et eius significatione.

Item de hydropico, idest avaro, ibi: *Et ecce homo*.

Item qualiter Dominus manu suae misericordiae trahit peccatorem ab iniquitate, ibi: *Tobias apprehendit pisces*.

Item de poenitente, qui omnem superfluitatem debet a se resecare, ibi: *Tulit illico Saphora acutissimam petram*.

Item sermo moralis de unitate et pace, quam diabolus nititur dissipare, et de natura et proprietate

margaritarum et earum significatione, ibi: *Solliciti servare unitatem spiritus*, et cetera quae sequuntur.

[DE TERTIA CLAUSULA]. Thema praedicationis de humilitate, ibi: *Cum invitatus fueris*.

Item de poena simoniaci, ibi: *Alcimus, qui data pecunia*.

Item ad religiosos de corde custodiendo, ibi: *Unus de prophetis clamavit ad regem*.

Exordium. De praedicatore et ipsius armis

1. In illo tempore: *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum (Lc 14,1)*.

Dicitur in primo libro Machabaeorum, quod Iudas Machabaeus *induit se lorica ut gigas, et succinxit se arma bellica in proeliis, et protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione (1 Mach 3, 24)*. Iudas interpretatur glorificans, Machabaeus, protegens vel percutiens, et significat praedicatorem, qui haec tria debet facere, scilicet glorificare Deum, protegere proximum, percutere diabolum. Hic debet se induere lorica, ut gigas. Nota ista duo: gigas et lorica. In gigante constantia, in lorica designatur patientia, quae duo praedicatori valde sunt necessaria, ut, cum loquitur, sit constans, cum contra eum canes latrant, sit patiens. Debet enim exultare ut gigas ad currendam viam (Cf. Ps 18, 6). Unde Iob de ipso dicit: *Exultat audacter et in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio (Iob 39, 21-22)*. Et sic a summo caelo empyreo, idest igneo, idest caritate, erit *egressio eius (Ps 18, 7)* ad percutiendum diabolum, qui habitat in corde peccatoris; et tunc necessaria est ei patientiae lorica. Lorica vocata, eo quod loris careat, solis enim circulis ferreis contexta est. Sic vera patientia non loris humani favoris et timoris

circumligatur, sed solis vinculis inflexibilis caritatis contexitur. Ficta vero patientia, plus mundi verecundia vel timore, quam Dei amore, timet illatam iniuriam vindicare.

Sequitur: *Et succinxit se arma bellica*, de quibus dicit Apostolus: *State succincti lumbos vestros in veritate, calceati pedes in praeparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; et galeam salutis assumite (Eph 6, 14-17).*

Et protegebat castra gladio suo, idest verbo Dei, sibi credito; quo animas fidelium a tribus debet protegere, scilicet ardore solis, idest tentatione carnis, tempestate fulguris, idest mundanae adversitatis, incursu hostis, idest daemonis. *Similis factus est leoni*, de quo dicitur in Apocalypsi: *Vicit leo de tribu Iuda (Apoc 5, 5)*; et in Genesi: *Catulus leonis Iuda*.

Ad praedam ascendisti, fili mi. Requiescens accubuisti ut leo (Gen 49,9). Praedicator debet spolia detrahere, animas scilicet captivas de manu diaboli (Cf. Is 8, 1), in venatione suae praedicationis, rapere, sicut fecit Christus, leo de tribu Iuda, qui ascendit in crucem ad praedam, idest ad praedandum diabolum, in cuius domum intravit et vasa eius diripuit. Unde dicitur in hodierno Evangelio: *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum etc.*

2. Nota quod in hoc Evangelio tria notantur, scilicet in domum principis ingressio, hydropici curatio, ad humilitatem in omnibus tenendam Iesu Christi admonitio. Primum ibi: *Cum intraret Iesus*. Secundum ibi: *Et ecce homo quidam hydropicus*. Tertium ibi: *Cum invitatus fueris ad nuptias etc.*

In introitu hodiernae missae cantatur: *Da pacem,*

Domine, sustentibus te. Et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios: ***Obsecro vos ego vincetus in Domino,*** quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus Evangelii clausulis concordare. Prima: ***Obsecro vos.*** Secunda: ***Solliciti servare.*** Tertia: ***Unus Dominus*** etc. Et attende quod ideo haec epistola legitur cum hoc Evangelio, quia Dominus in Evangelio de humilitate specialiter loquitur, qua unitas Ecclesiae conservatur, ad quam sollicite conservandam invitat Apostolus in hodierna epistola.

I - De Iesu Christi in domum principis Ingressione

3. Dicamus ergo: *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.* Quid domus, quid princeps, quid pharisaei, quid sabbatum et quid panis allegorice significant videamus.

Princeps dictus, quod primus capiat sibi locum vel honorem, diabolum significat, qui primum hominem poma, quasi piscem hamo, primus cepit. Nota quod, qui vult piscem hamo capere, tria ad minus sunt ei necessaria, scilicet funiculus, esca et ferrum. In poma sunt tria: odor, color et sapor. Odor, quasi funiculus, ad se trahit; color, quasi esca, allicit; sapor, quasi hamus, capit. Tali hamo captus fuit primus homo a principe diabolo.

Unde super hoc habes concordantiam in primo libro Machabaeorum, ubi dicitur quod Antiochus *intravit in sanctificationem cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et mensam propositionis, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat (1 Mach 1, 23).* Antiochus interpretatur pauperis silentium, et significat diabolum, qui primo homini, quem tanta gloria depauperavit, mortem siluit, et esse sicut Deum promisit. Hic cum superbia, ob quam de caelo ceciderat, in

sanctificationem, idest paradysum, intravit, et accepit altare aureum, idest puritatem cordis, qua offertur thymiama devotionis. De quo Ioannes in Apocalypsi: *Audivi, inquit, vocem unam ex quattuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei (Apoc 9,13)*. Altare aureum est cor purum, quod habet quattuor cornua, idest quattuor virtutes principales, ex quibus procedit vox contritionis et confessionis. Tale altare semper est ante oculos Dei, quia in ipsum misericorditer respicit. Unde dicit in Isaia: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem et quietum etc. (Cf. Is 66,2)*.

Et accepit candelabrum luminis, idest extinxit lumen rationis, de quo dicit Dominus in Matthaeo: Si lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt? (Mt 6, 23). *Et mensam propositionis, idest dulcedinem contemplationis, de qua in Psalmo: Parasti in conspectu meo mensam etc. (Ps 22,5)*. *Et ornamentum aureum, idest caritatem, quae ornat faciem templi, idest opera cuiuslibet christiani, qui, ut dicit Apostolus, templum Dei sanctum est (Cf. 1 Cor 3,17)*. Haec omnia diabolus semel abstulit primo parenti, et quotidie nititur auferre cuilibet homini.

Hic dicitur esse princeps pharisaeorum, qui interpretantur divisi, et significant illos, qui se a iustis dividunt, conventicula faciunt. De quibus habes concordantiam in primo libro Machabaeorum: *In diebus illis exierunt ex Israel viri iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus et disponamus testamentum cum gentibus quae circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis invenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum (1 Mach 1, 12-13)*. Domus huius principis erat mundus, quem ob primi parentis reatum tamquam domum suam possidebat, in quam Dominus intravit, cum carnem nostram accepit. Bene ergo dicitur: *Cum intraret Iesus domum cuiusdam principis*.

Et ad quid intravit? *Sabbato*, inquit, *manducare panem*. Nota ista tria verba: sabbato, manducare, panem. Sabbatum interpretatur requies. Manducare est dictum, quasi manum ducere ad os. Panis dictus, quod cum omni cibo ponatur, vel quod omne animal eum petat. Dominus intravit in mundum sabbato, idest, ut requiescere nos faceret a servitute diaboli.

4. Unde, de eo dicit Isaias: *Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Dominus a labore tuo et a concussione tua, et a servitute dura qua ante servisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis et dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impi-rum, virgam dominantium, caedentem populos in indignatione plaga insanabili, subicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquievit et siluit omnis terra, gavisata est et exultavit (Is 14, 3-7)*. In die illa, cum exortum est lumen in tenebris, Dei Filius, Iesus Christus, dedit nobis requiem a labore, concussione, servitute. Dicit Ioannes in sua canonica: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, ecce labor; et concupiscentia oculorum, idest avaritia, ecce concussio; et superbia vitae, ecce servitus diaboli dura*.

De his tribus dicit Pater ad Filium, in Isaia: *Labor Aegypti et negotiatio Aethiopiae, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt et tui erunt; post te ambulabunt, vinciti manicis pergunt et te adorabunt, teque deprecabuntur (Is 45, 14)*. Aegyptus interpretatur tribulatio coangustans, ecce concupiscentia carnis, quae tribulat et coangustat animam; Aethiopia, tenebrae vel caligo, ecce concupiscentia avaritiae, quae obtenebrat oculos sapientium; Sabaim, captivi, ecce servitus dura diaboli, scilicet sublimitas superbiae. Contra haec tria Dominus tria opposuit, scilicet vitae innocentiam contra carnis laborem, spiritus paupertatem contra avaritiae concussionem vel negotiationem, sui sanguinis Passionem

contra superbiae sublimitatem. Haec Dominus, cum in se tibi ad imitandum ostendit, requiem a labore Aegypti, a negotiatione vel concussione Aethiopiae, a servitute diaboli et sublimitate superbiae, per suae Passionis humilitatem tibi dedit, requiem plenius daturus cum mortale hoc induet immortalitatem.

Et tunc *sumes parabolam contra regem Babylonis*, id est carnis stimulum vel mundum vel diabolum, *et dices: Quomodo cessavit exactor*, id est carnis tyrannus, qui quotidie exigebat denarium voluptatis; *quievit tributum avaritiae et cupiditatis? Contrivit Dominus baculum*, id est dignitatem, *impiorum*, et *virgam*, id est superbiam, *dominantium*, quae caedebat populos, subiciebat gentes, persequebatur crudeliter. Tunc terra, id est caro nostra, conquiescet, id est simul cum spiritu quiescet, a labore tentationis, silebit a concussione cupiditatis mundanae, gaudebit et exultabit a servitute diabolicae elationis. Bene ergo dicitur: *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis phari-saeorum sabbato* etc.

5. Sequitur: *Manducare*. Christus manducavit, quia manum operationis duxit ad os praedicationis, unde audi qualiter manducavit. *Coepit*, inquit, *Iesus facere et docere (Act 1, 1)*. Et iterum: *Erat potens in opere et sermone (Lc 24, 19)*. Unde dictum est Petro: *Macta et manduca (Cf. Act 10, 13)*. Ac si praedicatori diceretur: *Macta gladio praedicationis, et manduca, id est manum duc ad os, ut quod aliis praedicas tu prior facias*. Unde, super hoc habes concordantiam in primo libro Machabaeorum, ubi *ait Timotheus principibus exercitus sui: Cum appropinquaverit Iudas et exercitus eius ad torrentem aquae, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversus nos; si vero timuerit transire et posuerit castra trans flumen, transfretemus ad eos, et poterimus adversus illum (1 Mach 5, 40-41)*.

Timotheus interpretatur beneficus, et significat diabolus, qui suis dilectoribus beneficia, quae sunt potius veneficia, praestare videtur, unde potius veneficus quam beneficus debet appellari. Hic valde timet ne Iudas, idest praedicator, flumen praedicationis transeat, ut scilicet de ripa verborum transeat ad ripam operum. Quod si fecerit, ipsum Timotheum cum suo exercitu effugabit. Sed, heu! hodie multi veniunt usque ad flumen, in ripa stant verborum, ad ripam nolunt transire operum, et ideo diabolus eos non timet, et verba eorum minoris sunt efficaciae. Non enim, ut in eodem dicitur libro, sunt de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel (Cf. 1 Mach 5, 62). Viri illi fuerunt apostoli, qui, flumen transeuntes, magnam salutem fecerunt in populo Dei.

Sequitur: *Panem*. Panis est voluntas Dei, quae prae omni et cum omni cibo ponenda est. Unde dixit Iudas Machabaeus: *Sicut fuerit voluntas in caelo, sic fiat!* (1 Mach 3,60). Omne opus est sterile, cui non apponitur panis voluntatis divinae. Voluntas Domini est, ut peccator convertatur et vivat (Cf. Ez 33,11). Unde ipse dicit in Isaia: *Terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te* (Is 62, 4). Cum peccator convertitur, terra, idest mens eius, a gratia inhabitatur, et sic voluntas Domini, quae est vita, in ea invenitur. Intravit ergo Iesus in domum sabbato manducare panem, idest ad hoc venit in mundum, ut faceret voluntatem Patris. Unde inquit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui misit me* (Io 4, 34). Unde Ezechiel: *Ipse sedebit in porta, ut comedat panem coram Domino* (Ez 44, 3), idest humiliabit se in Virgine, ad hoc ut faciat voluntatem Patris. Hic est panis vivus, quem qui manducaverit non morietur in aeternum (Cf. Io 6,50). *Caro*, idest carnis voluntas, *non prodest quidquam* (Io 6,64). Panis vero, idest Domini voluntas, confirmat cor hominis.

Unde dicit Dominus in Exodo: *Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus, scietisque quia ego sum Dominus Deus vester (Ex 16,12)*. Vespere culpae, cum occidit sol gratiae, peccatores comedunt carnes, idest adimplent carnis voluntates, sed gladius meus, inquit Dominus, devorabit carnes (Cf. Deut 32, 42). Carnes eorum ut carnes asinorum, et fluxus eorum ut fluxus equorum Cf. Ez 23, 20). *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas (Ps 118, 120)*. *Vespere ergo comedetis carnes, et mane*, idest in ortu gratiae, in cordis contritione, in peccati abrenuntiatione, *saturabimini panibus*, idest Domini voluntate, quae super omnia reficit et satiat animam poenitentis, et tunc *scietis quia ego sum Dominus Deus vester*. Cum de vespere culpae in mane convertimur gratiae, tunc vere scimus quia ipse est Dominus Deus noster. Hunc panem omne animal petit. Unde: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra (Mt 6, 10)*, quasi diceret: Sicut fit in iustis et sic in peccatoribus fiet. Visita ergo terram et inebria eam, ut non spinas et tribulos, sed granum plenum in spica, idest confessionem in contritione, quae pungit, germinet, ut ex ipso fiat panis tuae voluntatis, confirmans cor hominis.

Sequitur: *Et ipsi observabant eum*, idest insidias intendebant, vel callide advertabant si sabbatum solveret. *Observabit*, inquit, *peccator iustum (Ps 36,12)*. Observabant, ut eum reprehenderent, non ut mandata eius custodirent. *Deum*, inquit Salomon, *time, et mandata eius observa*, ad hoc faciendum factus est omnis homo (*eccle 12, 13*). Dicitur in NATURALIBUS, quia est quoddam animal parvum, quod vadit ad locum per quem intrant apes, et insufflat fortiter in eo et expectat quousque exeant, et cum aliqua illarum voluerit volare, apprehendit eam et comedit. Sic superbus et callidus vadit ad locum per quem intrant apes, idest considerat vitam et mores, verba et opera iustorum, per quae intrant ad regnum, et insufflat, idest laudat vel vituperat. Credit enim eos laude

extollere vel vituperio eicere. Et observat si quis eorum exeat, idest extra se eat, per exultationem mentis, quia laudavit, vel in verba irae, quia vituperavit. Et tunc statim reprehendit et vitam eius corrodit. Sicut aurum in fornace sic homo probatur laudatoris ore (Cf. Prov 27, 21). Ignis laudis plumbum et paleam consumit, aurum vel argentum splendidius facit. Illata iniuria demonstrat qualis quisque apud se lateat.

6. Huic primae clausulae concordat prima particula hodiernae epistolae: *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem cum caritate (Eph 4, 1)*. Nota quod in hac prima particula quinque ponit Apostolus, scilicet digne ambulare, humilitatem, mansuetudinem, patientiam et caritatem. Digne ambulemus, ne princeps tenebrarum nos capiat; cum omni humilitate, contra superbiam pharisaeorum; cum mansuetudine, ut devote celebremus sabbatum; cum patientia, ut panem voluntatis divinae possimus manducare, supportantes in caritate eos qui nos observant, qui nobis detrahunt et nos opprimunt.

Huic particulae epistolae concordat introitus hodiernae missae: *Da pacem, Domine, sustinentibus te, ut prophetae tui fideles inveniantur; exaudi preces servi tui et plebis tuae Israel (Cf. Eccli 36, 18)*. Hoc idem cantatur in historia praesentis dominicae, quod in secundo libro Machabaeorum ponitur: *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua et in praeceptis suis, et faciat pacem (2 Mach 1, 4)*. Cum cor per compunctionem aperitur, lex gratiae Dei digito in ipso scribitur et praecepta conservantur et pax redditur, ut sabbatum mentis celebretur, panis divinae voluntatis in saturitate manducetur, et observatio detrahens in caritate supportetur. Et sic prophetae, idest viri iusti vel praedicatores sancti, fideles invenientur, et preces fidelis

populi exaudientur.

Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut in domum conscientiae nostrae intres, principem pharisaeorum, idest motum malarum cogitationum, quae se ad invicem dividunt et dividentes cor dispergunt, eicias, sabbatum quietis et pacis menti nostrae restituas, panem tuae voluntatis manducare nos facias, quatenus ad te, panem angelorum, mereamur pervenire. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II - De hydropici curatione

7. Sequitur secundum. *Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos et pharisaeos: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse autem apprehensum sanavit eum, ac dimisit (Lc 14,2-4).* Ibi dicit GLOSSA: "Hydor graece, aqua latine, inde hydropisis morbus aquosus. Proprium est hydropici, quanto plus bibit tanto plus sitit et ideo comparatur ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat. Comparatur etiam diviti avaro". Aquae carnalis voluptatis et mundanae cupiditatis generant hydropisim in anima, quae satiari non potest. Hae sunt aquae, in quibus congesta sunt maledicta, quas qui biberit, computrescet venter et femur eius (Cf. Num 5, 22.27). Hae sunt aquae Aegypti, quae versae sunt in sanguinem (Cf. Ex 7, 19-20), de quibus dicit Isaias: *Aquae Nemrim desertae erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Secundum magnitudinem operis et visitor eorum, ad torrentem salicum deducunt eos (Is 15, 6-7).*

Nemrim interpretatur pardi. Pardus, bestia ferocissima, quae citata praeceps fertur ad sanguinem et saltu in mortem ruit. Dicitur in NATURALIBUS, quod pardus quando comedit venenum, quaerit stercus humanum et

comedit ipsum. Et propter hoc ponunt venatores illud stercus in vase super arbores, et cum venit pardus ad arbores et saltat ad accipiendum stercus, interficiunt ipsum. Pardus huius mundi superbum, variis peccatorum maculis respersum, significat. Hic, veneno diabolicae suggestionis inflammatus, stercus temporalium quaerit, ut ipsum comedat, sibi incorporet. Omnia, inquit Apostolus, reputavi tamquam stercore, ut Christum lucrifacerem (Cf. Phil 3, 8). Et Ezechieli dicit Dominus: Stercore, quod egredietur de homine, panem tuum operies (Cf. Ez 4, 12). Panis, idest cogitatio et actio peccatoris, quae cooperta est stercore gulae et luxuriae, superbiae et avaritiae; quem venator, idest diabolus, ut facilius capere possit, stercus in arbore ponit. Arbor, a robore dicta, est temporalis dignitas, quae, dum firma radice stare creditur, a vento mortis divellitur et in mare inferni proicitur. Unde Iob: *Vidi stultum firma radice fundatum, et maledixi pulchritudini eius statim (Iob 5, 3)*. In hac arbore ponit diabolus stercus, quasi escam, ad quod capiendum, cum superbus saltat, ut stercus gulae et luxuriae, vanae gloriae et pecuniae comedat, a diabolo interficitur. *Aquae ergo Nemrim desertae erunt.*

Unde, super hoc habes concordantiam in secundo libro Machabaeorum, ubi dicitur, quod Antiochus *superbia repletus, ignem spirans animo, et praecipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur fluctibus maris etiam imperare, supra modum humanum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur. Et qui paulo ante sidera caeli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam foetoris portare (2 Mach 9, 7-8.10)*. Ecce qualiter aquae Nemrim desertae sunt. Tunc herba gloriae temporalis arescet, germen filiorum, nepotum et parentum deficiet, et omnis viror carnalis delectationis,

gulae scilicet et luxuriae, interibit. *Secundum magnitudinem operis* et iniquitatis superbiorum erit *et visitatio eorum*, quia poena respondebit culpae et in poculo quo miscuerunt miscebitur eis et daemones, quos incentores habuerunt, deducunt eos nudos et miseros, ligatis a tergo manibus, ad torrentem salicum, idest poenarum aeternarum, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (Iob 10, 22)*. Hae sunt aquae quae mentem inflant, hydropisim generant, sitim potatae magis augmentant.

8. Dicatur ergo: *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum*. Hydropicus est avarus. Avarus dictus, quod sit avidus auri, et numquam opibus expleatur. Sicut corpus auro, sic avarus auro impletur. Est enim tamquam abyssus carens fundo sufficientiae. Unde in Psalmo: *Abyssus gulae invocat abyssum luxuriae; abyssus epularum invocat abyssum expensarum; abyssus pecuniae invocat abyssum gehennae (Cf. Ps 41, 8)*. Unde iste hydropicus bene potest dicere in Sancio Iona propheta: *Circumdederunt me aquae usque ad animam meam; abyssus vallavit me, et pelagus cooperuit caput meum (Ion 2, 6)*. In aquis, voluptas carnis, quae animam, tamquam hostem in castro obsessam, detinet; in abisso, profundum cupiditatis, quae ipsam animam vallat, ne in libertatem egredi valeat; in pelago superbia designatur, quae operit caput, idest mentem, ne possit cernere veritatem.

Haec tria ponuntur in Psalmo: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam (Ps 68, 2)*, ecce primum. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia (Ps 68, 3)*, ecce secundum. Dum infelix substantiam congregat transitoriam, amittit perpetuam. *Bona est, inquit Ecclesiasticus, substantia cui non est peccatum in conscientia (Eccli 13, 30)*. Nota ista tria verba: *infixus, in limo, profundi*. Limus dictus, quod lenis

sit. *Avarus infixus est cupiditate, in limo delectatione, profundi desperatione. Peccator, inquit Salomon, cum venerit in profundum vitiorum, contemnit (Cf. Prov 18, 3). Unde desperatio dicitur, quod desit sibi spes progrediendi, quia dum quisque peccatum amat, futuram gloriam non sperat. Item, Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me (Ps 68,3), ecce tertium. Altitudo maris, altitudo superbiae, in qua est tempestas demergens hominem in abyssum gehennae. O Domine Iesu, extende manum tuam et apprehende istum hydropicum, aquis circumdatum, abysso vallatum, pelago sepultum.*

9. Unde sequitur: *Iesus autem apprehensum sanavit eum ac dimisit.* Nota ista tria: apprehendit, sanavit ac dimisit. Dominus peccatorem apprehendit, cum, iniecta manu suae misericordiae, eum de profundo vitiorum eruit. Unde dicitur in libro Tobiae, quod Tobias apprehendit piscem immanem, et traxit eum in siccum, et exenteravit eum, et accepit eius iecur, fel et cor (Cf. Tob 6, 4-5). Piscis immanis est peccator, magnis irretitus peccatis, quem Tobias, idest Iesus Christus, manu suae miserationis apprehendit et extrahit de profundo desperationis in siccum poenitudinis. Siccus dictus, quod sit sine succo. Succus dictus, quod sacco exprimitur. Poenitentia est locus siccus, quia sine succo. Succus enim gulae et luxuriae exprimitur sacco poenitentiae, de qua dicitur in Psalmo: *In terra deserta, invia et inaquosa etc. (Ps 62,3).* Quaere in Evangelio: *Cum immundus spiritus exierit ab homine (Dominica III in Quadragesima).*

Hunc piscem exenterat Dominus, cum peccatorem gladio sui timoris percutit, et tunc extrahit ab eo iecur, idest amorem luxuriae, fel, idest amaritudinem pecuniae, in qua labor et dolor, quia cum labore acquiritur, cum timore custoditur, cum dolore amittitur; et aufert ei cor, idest tumorem superbiae. De iecore dicit Ieremias in

Threnis: *Effusum est in terra iecur meum (Lam 2,11)*. Quod fit, cum in terrenorum amore effunditur aliquis luxuriae delectatione. De felle dicit Petrus, in Actibus, Simoni mago: *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse (Act 8,23)*. Qui simonia vel avaritia laborat in amaritudine est mentis et obligatione operis. De corde dicit Iob: *Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiusmodi sermones? (Iob 15, 12-13)*.

Sequitur secundum: *Et sanavit eum*. Sanat Dominus peccatorem, cum ab omni infirmitate peccatorum curat eius animam. Unde: *Sana animam meam, quia peccavi tibi (Ps 40, 5)*. Sanus a sanguine dicitur, quia sine pallore est. Ubi sanguis lacrimarum, ibi sanitas animarum. Lacrimae sunt dictae a laceratione, scilicet mentis, quam cum dolore laceras, sanguis lacrimarum effluit et genas tuas inungit, et tunc genae tuae sunt roseae, sicut fragmen mali punici absque eo, scilicet cordis contritione, quae intrinsecus latet. Sanus ergo effectus es, vide ne deterius tibi contingat (Cf. Io 5, 14). De hoc Dominus Ezechiae: *Audivi, inquit, orationem tuam, et vidi lacrimam tuam, et ecce sanavi te (Cf. Is 38, 5)*. Ex oratione et lacrimis fit quasi quoddam emplastrum, quod expellit animae morbum.

Item, tertio dicitur: *Ac dimisit eum*. Dominus peccatorem conversum tunc dimittit, cum eum ab omni vinculo culpae, poenae et tentationis diabolicae liberum in gaudium conscientiae abire sinit. *Solvite, inquit, eum, et sinite abire (Io 11, 4)*. *Dimitte, inquit, eam, quia clamat post nos (Mt 15, 23)*. De hoc simile quid habes in Exodo, ubi dicitur quod *tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit praeputium filii sui; tetigitque pedes eius, et ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum, ob*

circumcisionem (Ex 4, 25). AD LITTERAM intelligendum, ut ait AUGUSTINUS, quod sanguis tetigit pedes pueri. Unde irata ait Moysi viro suo: Esne mihi vir sanguinum? An ex coniugio tuo tantum scelus teneor agere, ut fundam sanguinem filii mei? Vel Sephora tetigit pedes eius, idest Moysi, indignans enim praeputium iecit ad pedes Moysi, et ait, ut Hebraeus habet: Gener sanguinum tu mihi es, idest tu gener patris mei ideo factus es, ut esses mihi, idest carni meae in filio, ad sanguinem, idest ad mortem.

MORALITER. Sephora interpretatur avis, et significat poenitentem, qui debet esse tamquam avis, scilicet pennatus virtutibus. Hic petra acutissima, idest cordis contritione, debet circumcidere praeputium filii sui, idest superfluitatem operis sui. Praeputium dictum, quasi ante pudorem; *prae*, ponitur pro *ante*. Solet enim superfluitas nos impedire, ne nostrae iniquitatis turpitudinem videamus. Circumcidatur ergo, ut profluat sanguis lacrimarum, tangens et abluens pedes filii, idest operis nostri. Si enim mundus fuerit affectus, idest voluntas, sanctificatus erit effectus, idest opus. Post talem circumcisionem dimittit Dominus hominem liberum redire ad fratres suos et ad propriam domum clarae conscientiae.

10. Sequitur: *Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadit, et non extrahet continuo illum die sabbati? Et non poterant ad haec respondere illi (Lc 14, 5-6).* Ibi dicit GLOSSA: "Congrue animali, quod decidit in puteum, hydropicum comparat, qui a noxio humore peribat". Quid ista tria: asinus, bos et puteus significant, videamus. Asinus dictus, alta sinens, in posterioribus est fortior, in anterioribus vilis, ibi crucem gerit. Asinus est luxuriosus, qui alta sanctae conversationis sinit, et per plana voluptatis incedit; iste in operibus crucis et labore spirituali est debilis, sed in renibus, ubi luxuria, est fortis. Quaere de asino in

Evangelio: *Ductus est Iesus (Dominica I in Quadragesima)*, et in Evangelio: *Cum appropinquasset Iesus Ierusalem (dominica in ramis palmarum)*.

Item, in bove superbus designatur, unde et bos cornupeta dicitur, quia cornu superbiae impetit. De cornibus quaere in Evangelio: *Cum fortis armatus (Dominica III in Quadragesima, teria clausula)*. Asinus ergo et bos, idest luxuriosus et dives superbus, qui per hydropicum figurantur, in puteum cadunt vitiorum, ad quos inde extrahendos necessarii sunt veteres panni, de quibus dicitur in Ieremia, quod Abdemelech tulit veteres pannos et antiqua vestimenta, quae computruerant, et submisit ea ad Ieremiam in lacum per funiculos, et extraxit eum de lacu (Cf. Ier 38, 11.13).

Veteres panni sunt paupertas et humilitas Iesu Christi, qui pannis fuit involutus, qui bene dicuntur veteres. Solemus enim pannos veteres aliis dare, paupertatem et humilitatem Iesu Christi non nobis retinere, non nos induere, sed aliis libentius volumus dare, aliis praedicare. Hodie quilibet praedicator nititur alium vestire paupertate et humilitate, et utinam ipse nudus non remaneret; alium vult informare, sed videat ne ipse deformatus existat. Vestimenta putrida sunt sanctorum exempla, quae bene dicuntur putrida, quia in faecibus nostri temporis tamquam res putrida sunt abiecta et despecta. Vetera aliis damus, putrida proicimus. O peccator, *de lacu miseriae et de luto faecis (Ps 39,3)* numquam poteris extrahi, nisi panniculis paupertatis et humilitatis Iesu Christi. His enim extrahitur bos et asinus de puteo abyssi.

11. Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae (Eph 4, 3-4)*. Ibi dicit

GLOSSA: Debetis servare unitatem, ita quod sitis unum corpus subserviendo proximo et unus spiritus cum Deo, idem volendo, vel unus spiritus cum fratribus, cum quibus idem velle et idem nolle. Hanc unitatem non conservat hydropicus, idest luxuriosus et avarus, qui corpus coinquinat et spiritum spinis avaritiae suffocat. Si enim vinculo pacis, funiculo unitatis alligatus fuisset, numquam in puteum cecidisset; quia vero utroque caret, ideo in puteo desperationis iacet.

Rogamus ergo te, Domine Iesu Christe, ut iniecta manu tuae misericordiae nos apprehendas, tuae paupertatis et humilitatis panniculis de puteo nos extrahas, ab hydropisi luxuriae et avaritiae nos sanes, qua unitatem spiritus conservare et ad te, qui [Deus] trinus et unus es cum Patre et cum Spiritu Sancto, valeamus pervenire. Te praestante, qui es benedictus in saecula. Amen.

12. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Nota ista tria, scilicet solliciti, unitatem et in vinculo pacis, quae nobis, fratres mei, sunt valde necessaria. Diabolus dissensionis zizaniam in caelo voluit seminare, et hoc idem in poenitentium congregatione nititur facere. Unde dicitur in Iob: *Quadam die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos Satan (Iob 1, 6)*. Nota verba singula. *Quadam* dicit, ut excludatur diversitas; *die*, ut excludatur noctis successio; *cum filii*, gratiae adoptione; *Dei*, spiritus paupertate; *venissent*, devotione; *ut assisterent*, corporis mortificatione; *coram Domino*, non coram mundo; *affuit inter eos Satan*, ut discordiae zizaniam seminaret. Nos vero, fratres, simus solliciti non pigri, servare non rumpere unitatem spiritus. Servemus, fratres carissimi, unitatem spiritus cum magna sollicitudine, sicut conchae marinae nimis sollicitae servant suas margaritas.

Dicitur in NATURALIBUS quod in conchis marinis nascuntur lapides pretiosi, scilicet margaritae, quae certo anni tempore sitiunt rorem velut maritum, huius desiderio hiant, et cum maxime descendit lunaris imber, oscitatione quadam hauriunt humorem cupitum. Sic concipiunt gravidaeque fiunt. Nam si purum fuerit quod acceperint, candidi sunt orbiculi; si turbidum, aut pallore languent, aut rufo innubilantur colore. Ita magis de caelo quam de mari partus habent. Denique quoties excipiunt matutini aeris semen, fit clarior margarita, quoties vespere, fit obscurior; quanto magis hauserint, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repente micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur. Conchis ipsis inest sensus, partus suos maculari timent; cumque flagrantioribus radiis excanduerit dies, ne fuscentur lapides solis calore, succidunt in profundum, et se gurgitibus ab aestu abscondunt. Margarita in aqua mollis est, vino durescit; numquam duae simul reperiuntur, unde unio dicitur. Piscantium insidias timent, unde est ut inter scopulos delitescant. Gregatim natant, earum agmini dux est certus. Quid ista moraliter significant videamus.

Conchae, dictae a concavitate, sunt poenitentes, humiles, spiritu pauperes, qui in concavitate, idest cordis humilitate, consistunt. Hi sitiunt rorem velut maritum, unde dicunt: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum (Ps 41, 3)*. Ros caelestis gratiae tamquam maritus impregnat animam, proposito boni operis. Huius roris desiderio hiant, idest se aperiunt; unde dicit Iob: *Radix mea aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione mea (Iob 29, 19)*. Quaere in Evangelio: *Dum iret Iesus in Ierusalem (Dominica XIV post Pentecosten)*.

Et cum maxime descendit lunaris imber etc. In lunari imbre tria designantur, scilicet prosperitas, adversitas et gratiae infusio. In splendore lunae, prosperitas; in nocte, adversitas; in imbre figuratur gratiae infusio, quam

iusti ardentem cupiunt et aperto cordis ore hauriunt in splendore prosperitatis et in nocte adversitatis, ne scilicet prosperitas elevet et adversitas elidat. Unde Isaias: *Anima mea desiderabit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te (Is 26, 9).*

Nam si purum fuerit quod acceperint etc. Nota quod gratiae infusio duo facit, aut clarificat aut conturbat. Clarificat mentem ad contemplandum, et tunc candidae fiunt margaritae, idest mentis affectiones vel cogitationes. Unde Dominus in Osee: *Ero quasi ros, et Israel quasi lilium germinabit (Os 14, 6).* Cum ros contemplationis mentem indulcat, Israel, idest anima humilis, quasi lilium candidas cogitationes germinat. Item, conturbat ad dolendum de peccatis, et tunc color pallidus vel rufus efficitur in margaritis: pallidus in corporis afflictione, rufus in cordis contritione. Unde in Canticis: *Nuntiate dilecto, quia amore langueo (Cf. Cant 5, 8); unde: Palleat omnis amans; Posteriora, inquit, dorsi eius in pallore auri (Ps 67, 14).*

Ita magis de caelo quam de mari partus habent. Qui de mari, idest mundo amaro, impregnantur, viperas parturiunt; qui vero de caelo, margaritas emittunt. De illis dicitur: *Genimina viperarum, quis vobis demonstrat fugere a ventura ira? (Lc 3, 7).* De istis in Canticis: *Vineae florentes odorem dederunt (Cant 2, 13); et iterum: Emissiones tuae paradisi (Cant 4, 13).*

Sequitur: Quoties excipiunt matutini aeris semen, fit clarior margarita; quoties vespere, fit obscurior etc. Hoc est quod dicitur in Psalmo: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia (Ps 29, 6).* Nota quod triplex est vespera et triplex matutinum, in quorum quolibet est fletus et laetitia. Prima vespera fuit Adae culpa, in qua fuit fletus, cum de paradiso eiectus, audire meruit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo (Gen 3, 19).*

Primum matutinum fuit Nativitas Iesu Christi, in qua fuit laetitia. Unde Angelus: *Evangelizo vobis gaudium magnum* etc. (Lc 2, 10). Secunda vespera fuit mors Christi, in qua fuit fletus. Unde in Luca: *Filiae, inquit, Ierusalem, nolite flere super me* etc. (Lc 23, 28). Secundum matutinum fuit ipsius Resurrectio, in qua fuit laetitia. Unde: *Gavisi sunt discipuli, viso Domino (Io 20, 20)*. Tertia vespera est in morte cuiuslibet hominis, in qua est fletus. Unde in Genesi: *Mortua est Sara in civitate Arbee; venitque Abraham ut plangeret et fleret eam (Gen 23, 2)*. Tertium matutinum erit sanctis in generali resurrectione, in qua erit laetitia sempiterna, ut dicit Isaias, super capita eorum (Cf. Is 35, 10).

Sequitur: Si repente micaverit coruscatio, intempestivo metu comprimuntur. Coruscatio diaboli est tentatio, quam iusti valde metuentes, cum ipsam senserint, statim se comprimunt et portas sensuum claudunt. Unde in Ioanne: *Cum esset sero die illa* etc. (Io 20,19). Quaere in eodem evangelio (Dominica in octava Paschae).

Conchis inest sensus: partus suos maculari timent etc. Sensus est per corpus ad animam commens mentis stimulatio. Iusti viri partus, idest opera sua, timent maculari, et ideo, cum dies mundanae prosperitatis excanduerit, idest eis arriserit, statim descendunt in profundum, idest considerant suae fragilitatis et iniquitatis miseriam, et gurgitibus lacrimarum se abscondunt, ne, si aliter fecerint, eorum margaritae fuscentur et obnubilentur solis calore, idest dignitatis vel humani favoris ardore.

Margarita in aqua mollis est etc. In aqua voluptatis mollis efficitur mens viri iusti, sed vino, idest austeritate, durescit; per austeritatem enim vultus corrigitur animus delinquentis. Unde Ecclesiasticus: *Filiae, idest animae*

commissae, tibi sunt? Conserva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas (Eccli 7, 26).

Numquam in una concha duae simul reperiuntur margaritae, quia in mente viri iusti non est sic et non (Cf. 2 Cor 1, 17-19); non sunt duae partes. Non est enim ibi dissensio, sed unio dicitur, quia sollicitus servat unitatem spiritus in vinculo pacis (Cf. Eph 4, 3).

Piscantium insidias timent conchae, quia iusti daemonum, qui in hoc mari magno mittunt hamum, suggestionis insidias timent, et ideo inter scopulos latitant. Scopulus, saxum eminens, a speculando dictus, mentis humilitatem significat, in qua qui se abscondit daemonum insidias non metuit.

Gregatim natant, in quo spiritus unitas egregie designatur. Earum agmini dux est certus, in quo obedientia figuratur. Praelatus est dux, quem sequi, cui obedire [in omnibus quae sunt secundum legem Dei et Ecclesiae] ex animo omnes tenemur, ut unitatem spiritus in vinculo pacis conservare valeamus. Quod nobis praestare dignetur Iesus Christus, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

III - De Iesu Christi admonitione ad humilitatem in omnibus tenendam

13. Sequitur tertium. *Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo; et tunc veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum; et tunc incipies cum rubore novissimum locum tenere (Lc 14,8-9).* Ibi dicit GLOSSA: "Cum per gratiam fidei, vocatus a praedicatorum, membrum Ecclesiae te iunxeris, non te, de meritis gloriando quasi ceteris sis sublimior, extollas". Nota quod in hac tertia particula Dominus tangit duo, scilicet superbiam, cum

praemittit: *In primo loco*; humilitatem, cum subiungit: *Recumbe in novissimo loco*.

Magna superbia est in nuptiis, idest Iesu Christi Ecclesia, in primo loco, idest dignitatis excellentia, velle discumbere. Unde dicit Dominus: *Amant primas cathedras in synagogis (Mt 23, 6-7)*, qui carebunt secundis. O infelix ambitio, quae magna nescis ambire! Circuit, inquit BERNARDUS, sedulus explorator, repens manibus et pedibus, si quomodo se ingerat in patrimonium Crucifixi, et nescit miser, quia sanguinis pretium est. *Carnem*, inquit in Genesi, *cum sanguine non comedetis (Gen 9, 4)*. Carnem cum sanguine comedit, qui carnaliter vivendo patrimonium Crucifixi in suis abusibus expendit. Et ideo peribit anima eius de populo Dei (cf. Ex 12, 15). Noli ergo discumbere in primo loco, quia, ut dicit Dominus in Amos, *Ego detestor superbiam Iacob, et domos eius odi (Am 6, 8)*. In excelsis idolis immolatur (Cf. 3 Reg 3, 2-3); Dominus in Nazareth loco humili concipitur; in Ierusalem vero loco eminentiori crucifigitur. *Non ergo discumbas in primo loco*. Dicit GREGORIUS: Nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in minimis positus non desinit superbire. Tu qui dignitatis culmen affectas, tuae animae exitium, tuae famae dispendium, tui corporis periculum inquiris, quia quanto gradus altior, tanto casus gravior. Summae est dementiae tantis se periculis obicere. *Non ergo discumbas in primo loco*, quia postea incipies novissimum locum inferni cum rubore tenere.

14. Unde, super hoc habes concordantiam in primo libro Machabaeorum, ubi dicitur quod Alcimus, qui data pecunia primum honoris principatum emerat (Cf. 1 Mach 7, 21), *percussus est, et occlusum est os eius, et dissolutus est paralyti, nec ultra loqui potuit verbum, et mandare de domo sua. Et mortuus est in tempore illo cum tormento magno (1 Mach 9, 55-56)*. Alcimus interpretatur fermentum mali consilii, et significat simoniacum, qui

fermento pecuniae --- in cuius consilium non veniat anima mea (Cf. Gen 49, 6), quia consilium eius consilium impiorum --- corrumpit animas columbas vendentium. Hic, quia in ecclesiasticae dignitatis loco, non vocatus a Deo tamquam Aaron, vult discumbere, ideo cum Alcimo paralytico, paralyti percussus, inconfessus et intestatus et magno tormento mortuus, novissimum et vilissimum inferni locum, qui primus et gloriosus voluit hic apparere, cum rubore incipiet tenere. *Recumbe ergo, frater, in novissimo loco, ut audire merearis: Amice, ascende superius (Lc 14, 10).* Dicit PHILOSOPHUS: Redige te ad parva, ne cadas; quia, ut dicit Salomon in Proverbiis, *qui altam facit domum suam quaerit ruinam (Prov 17, 16).* Et ideo, ut dicit Apostolus, Abraham in casulis cum Isaac habitavit (Cf. Hebr 11, 9). *Recumbe ergo in novissimo loco.*

Novissimus locus, mortis memoria, in qua qui recumbit in primo loco discumbere non appetit. Unde HIERONYMUS: Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. In hoc novissimo loco, o frater, fac tibi locum; ibi discumbe, a longe aspiciens et salutans (Cf. Hebr 11, 3), caelestem Ierusalem, cuius artifex et conditor Deus (Cf. Hebr 11, 10), et confitens quia peregrinus et hospes es super terram. Et sic *recumbe in novissimo loco; nulli te praeferens, indigniorem ceteris te reputa, et tunc audies: Amice, ascende superius.* Ex humilitate amicum te recognoscit, qui ex praesumptione te postponit. Amicus dicitur animi custos. Humilitas est custos virtutum, quam qui habet animum suum custodit, ne sibi fugiat, quo nihil fugacius. *Omni, inquit, custodia serva cor tuum (Prov 4, 23).* Vis ergo esse amicus Dei? Custodi cor vel animum tuum, qui si fugerit erit anima tua pro eo.

15. Unde dicitur in tertio libro Regum, quod unus de prophetis *clamavit ad regem et ait: Servus tuus egressus*

est ad proeliandum. Cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. Dum autem turbatus ego huc atque illuc me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum: Hoc est iudicium tuum quod ipse decrevisti (3 Reg 20, 39-40). Quicumque ad religionem venimus, ad proeliandum contra malignos spiritus egressi sumus. In quo proelio vir unus, idest animus noster, fugit nos; sed gratia Dei adducit animum nostrum ad nos, cum nos redire facit ad ipsum, et unicuique nostrum dicit: Custodi virum istum etc.

Custos a cura dicitur; cura dicta, quod cor agitat. Custodi ergo virum istum; curam illius age, ne vir vertatur in feminam et tamquam meretrix te fugiat et sequatur amatores suos. *Qui si lapsus fuerit a te, erit anima tua pro anima eius* etc. Ecce quid minatur Dominus. Notabile verbum dixit: *Si lapsus fuerit*. Labitur exiguo quod longo tempore partum est. *Vidi, inquit Saul in primo libro Regum, quod dilaberetur populus a me (1 Reg 13, 11). Lapsa est, inquit Ieremias, in lacum vita mea (Lam 3, 53). Heu! quoties animus meus, ex quo vita procedit, labitur in lacum miseriae et lutum faecis! (Cf. 39, 3). Erit ergo anima mea pro anima, idest vita, eius, aut talentum argenti appendam? Heu! Domine Deus, animam habeo, talentum argenti, idest vitae puritatem, in statera tui examinis appendere non valeo. Ergo, ne animam meam appendas pro isto dilapso. Vere, Domine, iudicia tua iusta, quia dignus sum suspendi, qui tuum depositum, cor meum, vitam meam, non custodivi, et ideo dignus vita privari.*

Sequitur: *Cumque turbatus huc atque illuc me verterem, subito non comparuit*. Ecce qualiter animus dilabitur. Nota ista duo: *turbatus* et *me verterem*. Turbatus dictus, quasi terrae mixtus. Nec mirum si animus

tuus dilabitur, cum tu es turbatus, idest terrenis immixtus. Vis ergo animum custodire? Esto in tranquillitate conscientiae. Et attende quam proprie dixit: *Cumque huc atque illuc me verterem*: cum *huc*, idest ad carnem, vel *illuc*, idest ad mundum, te vertis, animum perdis. Non ergo ad dexteram vel ad sinistram est vertendum, sed via regia gradiendum, ut semper te habeas ante te. Nec *huc*, idest istius, vel *illuc*, idest illius, vitam vel mores diiudices. Nemini detrahas. *Subito*, inquit, *non comparuit*. Quocumque te, praeterquam ad Deum vel ad te, vertis, subito animus tuus non comparet. Noli ergo te vertere, sed habe faciem euntis in Hierusalem, ut ipsa ascendat super cor tuum; quod cum custodieris, amicus Dei efficieris. Dicat ergo Dominus: *Ascende superius*. Qui in novissimo loco discumbit ascendit superius, *quia omnis qui se humiliat exaltabitur (Lc 14, 11)*. *Et tunc erit illi gloria coram simul discumbentibus (Lc l.c.)*. Unde in Luca: *Faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis (Lc 12, 37)*. Vere magna gloria, cum Dominus servo ministrat.

16. Unde, huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis (Eph 4, 5-6)*. Si in novissimo loco humilitatis discumbis, Dominum metuis, fidem tenes, baptismalem innocentiam conservas. Nota quod in hac particula quinque ponuntur, scilicet Dominus, Deus, Pater, fides, Baptisma. Quicumque ergo vult audire: *Amice, ascende superius*, attendat Domini potentiam, Dei sapientiam, Patris misericordiam, fidei excellentiam, Baptismatis virtutem. Attendat potentiam, ut timeat; sapientiam, ut sapiat; misericordiam, ut confidat; fidei excellentiam, ut temporalia despiciat; Baptismatis virtutem, ut fortis in bello consistat.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut in novissimo loco discumbere, animum

nostrum custodire, et ad se, qui est gloria, in regno discumbentium faciat nos ascendere. Ipso praestante, qui est super omnes et per omnia, in omnibus benedictus Deus per aeterna saecula. Dicat omnis humilis anima: Amen. Alleluia.